



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

13 Pugnans in bello iusto, si per se non occidit, licet iuuerit, non est irregularis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

## DECISIO IV.

- 4 Irregularis in choro cum alijs canere, & alia officia facere, que laicus potest, actus tamen proprios ordinum exercere nequit, ex Nauar. in Man. c. 27. nu. 19. sola enim irregularitas separata ab excommunicatione, suspensione, & interdictione huiusmodi actuum exercitium etiam cum alijs, non impedit, qui non sunt proprii actus ordinum, qualis non sunt canere in choro, vel extra illum officia diuina recitare, cum hoc etiam laicis licitum sit.

## DECISIO V.

Ex cons. 4. alias 18. de rescrip.

- 5 Occidens voluntariè presbyterum, & per Inbilæum a peccato absolutum, si impetando dispensationem super irregularitate, dicit simpliciter sequendam hominem occidisse, non facta mentione, quod esset presbyter, dispensatio est nulla: Quia tacuit verum, non exprimendo satis specialiter delictum, quod de iure exprimendum erat: & quod expressum, Papam a concedenda dispensatione retraxisset, quod facit gratiam subreptitiam, ca. postulasti. & cap. super literis, de reit. & Nauar. in Man. cap. 22. num. 86.

## DECISIO V.

Ex cons. 5. in vtrisque.

- 5 Hæreticus mortiferè percussus veniens ad exercitum Catholicum dicens se esse Catholicum, & vnus ex Catholicis ex compassione dicens ei, melius esse, vt omnino sanari nequeat: Si ob eius dictum postea aliquo audiente occidatur saltem prius quam alius occideretur, Catholicus irregularis efficitur: cum huiusmodi dictum, tacita quædam cohortatio fuerit ad illum occidendum ex Nauar. in Man. c. 27. num. 215. Et dispensatus postea generaliter a Papa, eo quod interfuit bello iusto, in quo multi erant occisi, se inuante occisores, non censetur etiam in hac irregularitate dispensatus: Quia in narratione petitionis non expressit aliquid quod dici posset irregularis ob occisionem huius in specialibus.

## DECISIO VI.

Ex consil. 6. alias 15.

- 6 Regularis, qui intellectis quibusdam facinorosis delictis a Bannitis in patriam, & amicum perpetratis, ad eundem amicum consolatorias, & ad vindictam hortatorias literas scribit, ignorans tamen an ad eundem peruenierint, si deinde dicti Banniti ab illo amico occidantur, irregularis non est, dum modo literæ illæ quæ vindictam constabant solum in generali, & non in particulari, priuata auctoritate faciendam, aut non peruenierint ad eum, cui deseriptæ erant, vt causa iudicari possint secuti homicidij, alias non secuturi: in dubio autem reputare debet se irregularitatem non incurtere: sin vero eam incurterit non potest per Privilegium Eugenij I. V. concedentis facultatem superioribus suæ religionis dispensandi super irregularitate, ex homicidio proueniente, dispensari; cum tale Privilegium, nec summo Pœnitentario, nec legatis a latere concedatur, & huiusmodi Privilegia religiosis concessa post Eugenium I. V. restringuntur, vt irregularitatem ex homicidio voluntario contractam non comprehendant.

## DECISIO VII.

Ex cons. 7. alias 3.

- 7 Homicidium casuale ex ludo licito secutum, irregularitatem non facit, cap. Ioannes. de homicid. & Nauar. in Manu. cap. 27. num. 211. ex illicito autem irregularitatem parit, cap. continebatur, & cap. presbyterum de homicid.

## DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alias 36.

- 8 Occidens alium pro sua defensione; sed non ob inuitabilem necessitatem, & proinde excedens modicam

men inculpatae tutelæ, irregularis efficitur, Clement. 1. de homicid. non tamen ea irregularitate, quæ prouenit ex homicidio voluntario, & ex proposito, & indispensabili; vnde eum eo ab ordinario dispensari potest, etiam ad ministrandum in factis ordinibus; cum Concilium Tridentinum sess. 14. ca. 7. de ref. de eo loquatur, qui eget dispensatione & consequenter de eo qui non occidit ob inuitabilem defendendi vitam necessitatem, quia talis nullatenus irregularis efficitur. Cle. 1. de homicid.

## DECISIO IX.

9. 12. dub. 1.  
Ex cons. 18. (alias) 12. dub. 2.

- 9 Monachus adiuuans Chirurghum volentem abscindere brachium patridum alterius Monachi pro corporis sanitate, irregularis non est; capi t. si quis a medicis dist. 55. Sicut nec ipse Chirurghus irregularis est, qui licet membrum illud abscindit, ita Nauar. in Man. cap. 27. num. 217. Monachus autem illud abscidens irregularis erit, cum Chirurghus officium sit illi prohibitum, cap. tua. de hom. & Pan. in cap. sententiam. Ne cler. vel Monachi fec. negot.

## DECISIO X.

- 10 Clericus etiam protestando coram iudice laico de fure se nolite eum pœna sanguinis puniri, sed tantum vt cogatur ad damnum illatum restituendum, & iniuriarum emendam faciendam, cap. Prælati. de homicid. in 6. Si postea indicat locum vbi fur comprehendi possit, & fur ibi comprehensus, & postea suspensus sit, irregularis erit, si fur non erat fugitiua persona; secus autem si fugitiuus erat, ita quod probabiliter crederetur, quod sententia contra eum lata parum profuisset, nisi persona detineretur: cum in hoc posteriori casu captura necessaria sit ad effectum sententiæ etiam ciuilitate lata non autem in priori, & ideo in priori euentu irregularis erit, non autem in posteriori.

## DECISIO XI.

10. 19.  
Ex consil. 12. (alias) 22.  
25 22

- 11 Percussus, & vulneratus percussoris nomen post aliquod tempus amico suo detegens, si postea amici iudicio percussor a iudice inuentus sit, & ab aliquo occisus, non est censendus percussus irregularis, cum detectio nominis eius non sit causa propinqua sed remota tantum mortis illius, quæ ad irregularitatem incurrendam non sufficit; cum homicidij tantum causa propinqua, & non remota irregularitatem pariat, cap. de occidendis. 23. q. 5. & glo. in cap. de cetero. de homicid. & Nauar. in Manu. cap. 27. num. 220. Nec dictum illud suapte natura, aut intentione proferentis in mortem illius sufficiens directum fuit, & ideo irregularitatem producere non censetur.

## DECISIO XII.

- 12 Mittens aliquem intentione mala; scilicet furandi aliquid, misso in via idem fulminis, aut alio casu occiso, mittens non fit irregularis; Quia licet misso illa in se esset illicita, & ex ea secuta sit mors, quatenus tamen illicita erat non dirigebatur sufficienter in illam, & mors non intenta secuta ex opere tunc solum quem irregularem fieri, quando opus illud illicitum eo respectu est tale, quod in illam dirigitur, ita patet ex Nauar. in Manu. cap. 27. num. 100.

## DECISIO XIII.

11. 11.  
Ex cons. 12. (alias) 8.  
2. 4.

- 13 Pugnans in bello iusto pro iuste bellante, & non occidens, nec mutilans manibus suis, non est irregularis, etiam si multi ab vtraque parte occidantur, & etiam si aliquos percutiat, & alios occidens iuret; dummodo ipse non occidat, nec mutilet, cap. penul. de homicid. & Panor. in

in cap. 2. de immu. eccl. Dubius autem an ipse occiderit nec ne, a iudice, & in foro exteriori irregularis iudicandus non est; cum nemo in dubio a iudice irregularis iudicari debeat ex Innoc. in c. ad audientiam, de homic. ipse tamen in dubio, & in foro conscientie, seipsum irregularem existimare debet, arg. d. ca. ad audientiam, & c. iuuens de sponsa. Cum in dubio pars turior eligenda sit ex Nau. in Man. c. 27. nu. 193.

## DECISIO XIV.

14 **O**ccidens, se defendendo, cui fuga fuisset, iniuriæ, & delectori, non peccat, irregularitatem tamen incurrit; cū hæc sine peccato contrahi possit, ut ait Nau. in Man. cap. 27. num. 211. dummodo sine mortis periculo fugere possit: Sin vero fuga periculosa sit ob casum, vel velocitatem hostis insequens, vel ob impedimenta viarum, aut aliam ob causam, nec peccat, nec irregularis est; cum iudicanda sit mors inuitabilius quoties sine periculo probabili mortis vitari non possit.

## DECISIO XV.

Ex conf. 14. alias 15.

15 **C**lerici cum laicis, & cum armis carcerem aduentus ad aliquem in carcerem coniectum liberandum, & eo deducto, superueniunt apparitores iudicis, qui eum in carcerem reducere conantur; si in ea rixa apparitorum aliqui occidant, prædicti clerici, etiam si non occiderint, nec percussent, fiunt irregulares; cum ex parte voluntum eum in carcere liberare rixa, seu bellum iniustum fuerit; Quoties autem quis in bello iniusto occiditur, vel mutilatur, astantes omnes a parte bellante iniusti, irregulares fiunt ex Na. in Man. c. 37. nu. 220. & 221. & indigent dispensatione quoad forum exterius, per officium Datarie quoad utrunque forum obtinenda.

## DECISIO XVI.

Ex conf. 15. alias 7.

16 **Q**ui ex facinoribus Bannitorum commotus, cum armis comitatur eos, qui illos iuste insequuntur, ut eorum fugam impediatur, si postea ab eisdem Banniti occisi sunt, irregularis efficitur, quamuis ipse nullum occiderit, aut percussent; cum cooperatus sit aliis, qui illos occiderunt, è domo cū illis exeundo arma ferendo, & Bannitorum fugam impediendo; non tamen peccauit, cum ipsi iuste occisi sint.

## DECISIO XVII.

17 **Q**ui comitantur iudicem ducentem aliquem ad sententiam mortis exequendam, etiam si nihil agant, omnes in iudicantur irregulares.

## DECISIO XVIII.

Ex confil. 16. alias 10.

18 **C**lericus in bello iusto pugnans irregularis non est, etiam si socij eius occidant al quos, dum modo ipse aliquem non occiderit, esto percussent, c. pen. de homic.

## DECISIO XIX.

Ex confil. 17. alias 13.

19 **C**lericus associatus alios occidere volentes Bannitum, & vna cum eis scloppis eum occidens, tanquam cooperator, & auxiliator irregularitatem ex homicidio voluntario contractam incurrit: cap. sicut dignum, §. fin. de homic. & Nau. in Man. cap. 27. num. 224. Nec beneficia ecclesiastica ante dispensationem acquirere potest ex Pan. in c. cum nostris, de concess. præb. Habita tamen saltem simplicia iuste retinere potest, donec illis per iudicem priuatur: ita Innoc. in d. c. cum nostris. Ad ordines tamen superiores promoueri non potest, ex Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 191. Neque cum eo dispensare potest Episcopus, ut beneficium simplex obtineat, vel ordines suscipiat, ut patet ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. de refor.

## DECISIO XX.

Ex conf. 19. alias 23.

20 **Q**ui alium, occidere volentem, & vere occidentem, cum posset, non impedit, irregularis non est, dummodo occidenti non cooperetur, sicut nec facti tenetur, qui videt alium furari, & non iuuat illum, nec dominum rei admonet, ut ait Adrian. 4. tit. de rest. q. 1. & Nau. in Man. ca. 24. nu. 7. Neque percussorem clerici alieno nomine factam ratificans excommunicatur, c. cum quis de sent. excom. in 6.

## DECISIO XXI.

Ex conf. 20. alias 2.

21 **P**ercutiens alium in facie, aut alia corporis parte vulnere graui, & de formi, irregularis non est, etiam si macula periculis maneret, cum hoc nullo iure canonico sit; irregularitas autem non nisi in casibus a iure expressis incurritur, c. Is qui de senten. excom. in 6. Nec omnis alium irregularem faciens irregularis efficitur, sicut nec alterius membrum debilitans irregularitatem incurrit, x Nau. in Man. c. 27. num. 207.

## DECISIO XXII.

Ex conf. 22. & 23. alias 46. deest in Nouis.

22 **S**ciens mulierem ex se concepisse, & eidem consulens, vt det operam abortiendi quamuis certo nesciat an illa ex consilio abortierit, dubitat tamen, cum abortus secutus sit; sic rogando, & consulendo peccauit mortaliter toties, quoties rogauit, aut ei consuluit, vt abortiret; Non est tamen irregularis, si abortus factus sit antequam factus anima rationali animatus erat: factus autem masculus lapsis quadraginta diebus, femineus autem octuaginta diebus animatur, gl. dist. 5. in princ. Quod si dubitatur an sit masculus, an femineus, præsumendum est post quadraginta dies animatum esse: Quia pars securior est eligenda, cap. Iuuenis de sponsal. & cap. ad audientiam, de homicid. vnde alium consulens, & rogans, se irregularem iudicare debet, & dispensatione Patris in Sacra Penitentia petenda indiget.

## DECISIO XXIII.

Ex conf. 24. alias 48.

23 **C**lericus primæ tonsuræ in choreis cum muliere quadam prægnante saltans, quæ postea etiam cum alijs saltauit, abortu secuto, non est irregularis, si saltatio illa licita, & honesta fuerit, & adeo modeste saltauit, vt verisimile sit ex illa saltatione abortum non prouenisse; argum. cap. quia non est de presumption. & Nauar. in Manua. c. 27. num. 210. & 229. secus autem si saltatio illa vel illicita fuerit, vel non ita leuis, vt causa abortionis iudicari possit; Et in dubio se irregularem iudicare debet; maxime cum saltatio cū muliere prægnante actus sit iua quasi natura ordinatus, & aliquo modo ad abortum, & mortem fetus animati directus.

## DECISIO XXIV.

24 **D**uo inter se rixantes, quorum causa; alij etiam duo rixas inter se excitent, & grauius sese vulnerant, ita vt vnus eorum post aliquot dies ex accepto vulnere moriatur, irregulares sunt, si rixa secunda dependens, & accessoria fuerit rixæ priori, & ex primo eorum facto illicito, & durante rixa priori, secuta sit rixa secunda, ex qua mors secuta est: ex Nau. in Man. ca. 27. num. 219. Hæc tamen irregularitas non nascitur ex homicidio voluntario indispensabili, sed ex casuali dispensabili, & mixto, ut ait Conc. Trid. sess. 14. ca. 7. de reformat. Si autem rixa secunda rixæ priori accessoria non fuerit, sed separata irregularitatem non incurrit.

DE.